



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quibus detur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

tionem pœnarum, secundum taxationem Canonũ, ut erat in primitiua Ecclesia in vſu: nec hodiè in totum est abijciendum: vtinam hodiè Ecclesia ſeruaret hunc rigorem & disciplinam. Sed gratia, propriè est immerita Miſericordia, Dilectio & Fauor Dei, quam nobis gratis Deus exhibet propter Chriſtum, vt quando Deus iure nos poſſet damnare, tùm propter peccatum originale, tùm actuale, attamen gratis noſtrũ miſeretur propter Chriſtum: Et qui ſumus natura peccatores, iniuſti propter annexum vitium, attamè reputamur iuſti in Chriſto, & remittitur nobis peccatum: hoc iam est opus in Deo, quod mihi exhibetur, ſcilicet miſericordia propter fidè in Chriſtum. Preſupponit hoc verbum, Gratia, peccatum, miſericordia miſeriam. Ideò cupio Gratiam, quia peccator ſum: miſericordiam, quia malefeci: Qui ſe non putant peccatores, illi non cupiunt gratiam Dei, ſicut de Iudæis iuſtitiarijs loquitur Paulus, Galat. 2. Non abijcio gratiam Chriſti. Et Luca 15. Gaudium eſt angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Ideò qui ſe intelligunt damnatos, & cupiunt miſericordiam propter Chriſtũ, illis exhibetur gratis Gratia, id eſt, non propter benefactum noſtrum. Non enim habet cauſam & originem meriti in nobis, ſed oritur & cauſam habet in Chriſto, propter quem hæc Gratia nobis diſtribuitur, & non propter noſtrum opus operatum. Et ſic arguit Paulus, Rom. 11. Si gratia ex operibus, iam gratia non eſt gratia. Et Rom. quarto: Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Eſt igitur Gratia, gratuita remiſſio peccatorum, & acceptatio propter Chriſtum, cum qua eſt coniuncta donatio Spirituſſancti.

Hæc Gratia exhibetur his, qui ſe agnoſcunt peccatores, vt dictum eſt: retinetur quoque apud timentes Deum. Luc. 1. Et miſericordia eius à progenie in progeniem timentibus eum. Roman. 8. Si ſecundum

carnem vixeritis, moriemini. Et ideo qui Deum non timent, & secundum carnem ambulant, non retinent Dei fauorem & gratiam, donec resipiscant & poenitentiam egerint veram, id est, cessationem à peccatis: & tunc Deus iterum gratis exhibet hanc gratiam & remissionem, vt licet Deus exigat contritionem, confessionem & fructus poenitentiae non propter illa opera, tamen confert gratiam, scilicet propter Christum: Nam semper hoc reseruatur Gratiae, quia gratis donatur.

Augmentatio quidem Gratiae fieri potest, prout gratia pro auxilio Dei accipitur, sicut in Sanctis patet, qui secundum diuersos gradus vsi sunt gratia Dei. Sic dicit Apostolus primae Corinth. 15. Plus omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum. Ibi Deus suum auxilium non aequo gradu dispensat, sed diuerso. Sed Gratia proprie hoc sibi retinet semper, quia gratis exhibetur, id est, ex misericordia, etiam si Deus iuuat Sanctos, vt multiplices fructus ferant, atque illa gratia abundet: & hoc est gratia, id est, gratis donatur, licet proprie meritum potius operum gratiae augmentetur, quam ipsa gratia. Exhibetur ergo gratia timentibus Deum, vt dictum est.

Et quamuis nemo mereri potest Gratiam, disponi tamen ad illam nos iubet Scriptura. Sic clamat Ioannes Matthaei 3. Parate viam Domini, &c. Et Esaiæ. 55. Derelinquat impius viam suam, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius. Et Zachar. 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Et quatenus homo hoc possit, Deus exhibet generale auxilium, quo excitat hominem, & ostium pulsat: Vbi homo si audierit, & poenitentiam egerit, vel faciens quantum in illo fuerit, tunc Deus gratis, non propter nostram dispositionem, etsi illa exigatur, necessario exhibet gratiam. Sunt enim praedicationes, flagella, infirmitates, &c. quibus vocantur.

Gratia